



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Nihil in hoc ritu esse, quod cum lege in Deuteronomio conveniat, variis  
rationibus ostenditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

qui hæc ! agi putant ex lege quæ in Deuteronomio legitur. Machlonem non fuisse fratrem Boazi optime observavit. Nam Boazum non fuisse fratrem defuncti Machlonis res ipsa docet, & τοῦ δέινα non fuisse Machlonis fratrem minime opus est ut probemus. Quare neuter ex lege de jure levitatus Rutham ducere tenebatur. Qua ratione ergo quis putabit, hæc ex lege agi, quæ in Deuteronomio legitur, cum neque ο δέινα, neque Boazus fuerint defuncti fratres? Non mihi latet virum illustrem Hugonem Grotium notasse, *autore consuetudine hanc legem à fratribus productam esse ad propinquos alios, idque se ad eum locum dicere.* Sed ad locum in Deuteronomio nihil aliud habet vir illustris, *quam morem idem produxisse ad alios propinquos, ubi fratres non extabant, & citat in testimonium hunc ipsum Ruthæ locum, addens: Hoc λέγει οὐκ ἐπιγύβειν, non οὐκ ἐπιγύβειν.* Atque hoc ipsum est quod probandum erat viro illustri an ea consuetudo etiam ad propinquos abierit. Sane legem hanc de ducenda uxore,

Grot. ad  
Ruth, 4. 5.

re, ac sobole defuncto fratri excitanda, etiam ad cæteros agnatos aut gentiles productam fuisse, quo argumento adstruet, cum ubi lex ea à Mose sancitur fratres tantum nominentur & intelligantur? Cum etiam frater tum istic, tum alibi, proprio vocabulo vocetur **יָרֵם**, & **גַּאֵל** notet redemptorem, unde constabit de agnato dici **גַּאֵל** de fratre **יָרֵם**? Conjecturam enim viri illustris nullo testimonio vidi probatam.

VII. Sed & illud verissime Abarbanel animadvertit detractionem hanc calcei non esse detractionem illam cujus lex in Deuteronomio meminit, cum Rutha ipsa non venerit in portam, aut exuerit calceum, aut inspuerit in faciem. Rogat quidem vir illustris Hugo Grotius: *Excalceatio nonne hic plane ut in Deuteronomio?* Sed miror unde viro illustri hoc venerit in mentem, cum omnia sint diversissima. In Deuteronomio vidua defuncti jubetur leviro, qui nuptias recusabat, calceum exuere. Hic ipse *o dēiva* calceum exuit: Quin Rutham non exuisse calceum *τῆ dēiva* vel ex eo manifestum est, quod